

<http://notker-balbulus.leperlily.org>

Notker Balbulus
Liber Ymnorum

Proprium Sanctorum
[N.29] – [N.38]

De Sancto Johanne Baptista
d. XXIV m. Jun.

[N.29] Sancti baptistae Christi

Sancti baptistae
Christi praeconis

Solemnia celebrantes
moribus ipsum sequamur,

Ut ad viam quam praedixit
asseclas suos perducatur.

Devoti te,
sanctissime hominum,
amice Jesu Christi,
flagitamus,
ut gaudia percipiamus,

Apparens quae
Zachariae Gabrihel
repromisit,
qui tuam celebrarent
obsequiis nativitatem,

Et per haec festa
aeterna gaudia
adipiscamur,

Qua sancti dei
sacris deliciis
laeti congaudent.

Te qui praeparas
fidelium corda,
Ne quid devium
vel lubricum deus
in eis inveniat,

Te deposcimus,
ut crimina nostra
Et facinora
continua prece
studeas absolvere,

Placatus ut ipse suos
semper invisere fideles

[...] Et mansionem
in eis facere dignetur

Et agni vellere,
quem tuo digito

Mundi monstraveras
tollere crimina,
nos velit induere,

Ut ipsum mereamur
angelis associi

In alba veste sequi
per portam clarissimam,

amice Christi, Johannes!

Petre, summe Christi pastor,
et Paule, gentium doctor:

Ecclesiam vestris doctrinis
illuminatam

Per circulum terrae precatus
adiuvet vester.

Nam dominus,
Petre, caelorum
tibi claves dono dedit.

Armigerum,
Beniamin, Christus
te scit suum vasque lectum.

Mare planta te, Petre,
Christus conculcare tuae
dedit caritati;

Umbram tui corporis
infirmis debilibusque
fecit medicinam.

Spermologon philosophos
te, Paule, Christus
dat vincere sua voce;

Multiplices victorias
tu, Paule, Christo
per populos adquisisti.

Postremo victis
omnibus barbaris
Ad arcem summi
pergitis culminis
germanos discordes
sub iugum Christi
pacatos iam coacturi.

Ibi Neronis
feritas principes
Apostolorum,
proeliis plurimis
victores, diversae
te, Petre et Paule,
addixerat poenae mortis.

Te crux associat,
te vero gladius
cruentus mittit Christo.

De Sancto Laurentio
d. X m. Aug.

[N.31] Laurenti David magni

Laurenti, David magni
martyr milesque fortis:

Tu imperatoris tribunal,

Sprevisti secutus
desiderabilem
atque manu fortem,

Cuiusque sanctus
sanguinis prodigos
facit amor milites eius,

Caesaris tu fasces contemnis
et iudicis minas derides.

Dolet impius
urbis praefectus
victus a pisce assato,
Christi cibo:

O Laurenti,
militum David in-
victissime regis aeterni:

Tu manus tortorum cruentas

Qui solus potuit
regna superare
tyranni crudelis,

Dummodo illum
liceat cernere
dispendio vitae praesentis.

Carnifex ungulas et ustor
craticulam vane consumunt.

Gaudet domini
conviva favo
conresurgendi cum ipso
saturatus.

Apud illum
servulis ipsius
deprecare veniam semper,

Martyr milesque fortis!

In Assumptione Sanctae Mariae
d. XV m. Aug.

[N.32] Congaudent angelorum chori

Congaudent angelorum chori
gloriosae virgini,

Quae sine virili
commixtione genuit

Filium, qui suo
mundum cruore medicat.

Nam ipsa laetatur, quod caeli
iam conspicatur principem,

In terris cui quondam sugendas
virgo mamillas praebuit.

Quam celebris angelis Maria,
Jesu mater, creditur,

Qui filii illius debitos
se cognoscunt famulos!

Qua gloria in caelis
ista virgo colitur,
Quae domino caeli
praebuit hospitium
sui sanctissimi corporis!

Quam splendida polo
stella maris rutilat,
Quae omnium lumen
astrorum et hominum
atque spirituum genuit!

Te, caeli regina,
haec plebecula
piis concelebrat mentibus:

Te cantu melodo
super aethera
una cum angelis elevat.

Te libri,
virgo, concinunt prophetarum,
chorus iubilat sacerdotum,
apostoli
Christique martyres praedicant.

Te plebes
sexus sequitur utriusque,
vitam diligens virginalem,
caelicolas
in castimonia aemulans.

Ecclesia ergo cuncta,
te cordibus
teque carminibus venerans,
Tibi suam manifestat
devotionem,
Precatu te supplici
implorans, Maria,
Ut sibi auxilio
circa Christum dominum
esse digneris per aevum.

De Nativitate Sanctae Mariae
d. VIII m. Sept.

[N.33] Stirpe Maria regia

Stirpe, Maria, regia

Procreata,
regem generans Jesum,

Et nos peccatores
tibi devotos
intuere benigna!

Patris tui Salomonis
in te lucet sophia,
Et Ezechiae
apud deum cor rectum,
sed numquam in te corrumpendum.

Sed quid nos istos
recensemus heroas,

Laude digna
angelorum sanctorum,

Tu pios patrum mores
ostentas in te,
sed excellis eosdem.

Patris Josiae adimplevit
te religiositas.
Summi etiam
patriarchae te fides
totam possedit, patris tui.

Cum tuus natus
omnes praecellat illos
atque cunctos per orbem?

Nos hac die
tibi gregatos serva,
virgo, in lucem mundi
qua prodisti
paritura caelorum lumen.

De Sancto Michahele
d. XXIX m. Sept.

[N.34] Angelorum ordo sacer

Angelorum ordo sacer,

Dei sereno vultu
semper iocundate,

Qui laude ipsius –
semper favo dulci –
pascaris in aevum:

Cursum vitae nostrae
numquam stabilem
tuis supplicationibus
commenda deo,

Qui licet excelsus
regnet in caelis,
infima terrae
pius intendit.

De Sancto Gallo Confessore
d. XVI m. Oct.

[N.35] Dilecte deo Galle

Dilecte deo,
Galle, perenni

Hominibusque et coetibus
angelorum,

Qui Jesu Christi oboediens
arduae svasioni

Praedia patris,
gremium matris,

Coniugis curam,
ludicra nati

Sprevisti pauperem
pauper dominum sequens

Et crucem gaudiis
praetulisti lubricis.

Sed Christus
pretio centuplicato

Haec compensat,
ut dies ista testatur,

Dum tibi nos omnes
filios dulci
subdit affectu

Sveviamque svavem
patriam tibi,
Galle, donavit,

Nec non et iudicem in caelis
apostolorum choro iunctum
te fecit sedere.

Te nunc suppliciter precamur,
ut nobis Jesus Christum, Galle,
postules favere

Et locum corporis
eius pace repleas

Ac tuos supplices
crebra prece subleves,

Ut tibi debitam
honorificentiam

Laetabundi semper
mereamur solvere,

O GALLE, DEO DILECTE!

In Dedicatione Ecclesiae
d. XVII m. Oct.

[N.36] Psallat ecclesia mater

Psallat ecclesia,
mater illibata
Et virgo sine ruga,
honorem huius ecclesiae!

Haec domus aulae caelestis
probaturn particeps

In laude caelorum
et cerimoniis

Et lumine continuo aemulans
civitatem sine tenebris

Et corpora in gremio confovens
animarum quae in caelo vivunt.

Quam dextra protegat dei

Ad laudem ipsius diu!

Hic novam prolem
gratia parturit
foecunda spiritu sancto:

Angeli cives
visitant hic suos
et corpus sumitur Jesu.

Fugiunt universa
corpori nocua:

Pereunt peccatricis
animae crimina.

Hic vox laetitiae personat:

Hic pax et gaudia redundant.

Hac domo
trinitati
laus et gloria
semper resultant.

In Dedicatione Ecclesiae
d. XVII m. Oct.

[N.37] Tu civium deus

Tu civium, deus, conditor
et sanctificator caelestium
et mansionem eorum:
Intra templum maiestati
nominis tui consecratum
Tibi populum congregatum
Tua gratia sanctifica,
Ut tuo dono largiente
tibi fieri gratum templum
Mereamur nunc et semper
et in aevum:
deus qui neminem vis perire.

De Omnibus Sanctis
d. I m. Nov.

[N.38] Omnes sancti seraphim

Omnes sancti seraphim,
cherubim, throni quoque
Dominationesque,
principatus, potestates, virtutes,

Archangeli, angeli!
vos decet laus et honores,

Ordines novenos
spirituum beatorum.

Quos in dei laudibus
firmavit caritas,

Nos fragiles homines
firmate precibus,

Ut spiritales pravitates
vestro iuvamine
vincentes fortiter

Nunc et in aevum vestris simus
digni solemnibus
interesse sacris.

Vos quos dei gratia
vincere terrea

Et angelis socios
fecit esse polo,

Vos patriarchae, prophetae,
apostoli, confessores, martyres,
monachi, virgines

Et viduarum sanctarum
omniumque placentium populus
supremo domino:

Nos adiutorium

Nunc et perenniter

Foveat, protegat ut vestrum,
in die poscimus
gaudiorum vestrorum.

Notker Balbulus
Liber Ymnorum

Monasterium Sancti Galli
881 – 887

<http://notker-balbulus.leperlily.org>
